Que produxit nobis Christum amenissimum florem
In hoc flore invenimus septem medicamina bona
Per que designantur sancti spiritus septem dona
Invenimus in hoc flore tactus odor et fructus
Color et folia saporis et gustus et auditus
Hec septem sunt contra animae valde medicinalia
Contra septem peccata mortalia
Tactus huius floris hominem tumore superbie exonerat
Et homo timoris superbie ad cognitionem sui humiliatur
Qui enim cogitat qualis factus est lucifer propter superbie timorem
Humiliat se et incipit habere dei timorem
Si enim deus altissimus angelis noluit superbiam sustinere
Multo minus vult hominem superbientem secum habere
Ipsi habebant gratiam maiorem quam nos potentiam et gloriam
Quantum habet putredinosus de quo posset elevari
Odore huius floris duritia invidi cordis mollificatur
Et dono pietatis ad compassionem afflictorum dilatatur
Invidus enim ad nullius afflictionem commovetur
Pius autem omni afflicto compatitur et miseretur
Qui ergo suscepit odorem idest exempla sui salvatoris
Pius et compassivus est afflictionibus omnibus hominis
Exemplo enim domini nostri Jhesu Christi flet cum flentibus
Et compatitur tam in anima quam in corpore patientibus
Fructu huius floris vesania ire removetur
Et dono scientie homo conversari cum hominibus edocetur
Homo iracundus nullam habet mentis discretionem
Et ideo nescit bonam et decentem conversationem
Homo patiens mansuetus est et suavis
Et docet bene conversari in medio nationis prave
Qui ergo huius floris fructum idest Christi opera voluit imitari
Ex ipsius operibus discit cum hominibus debite conversari
Colore huius floris pallidus accidie propulsatur
Et dono fortitudinis ad sustinendum homo corroboratur
Nulla enim sentit pena nec dolorem
Qui intuetur huius floris idest crucifixi colorem
Si enim elephas aspectu sanguinis uve ad pugnam animatur
Multo magis homo aspectu sanguinis Christi ad laborem fortificatur
Qui ergo devote respexerit passi colorem huius floris
Hylariter compatitur et sustinet in corpore hominis
Fronde huius floris vitium avaricie propulsatur

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0010
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg